Q. D. B. V.

DISSERTATIO IVRIDICA INAVGVRALIS
DE
DIFFERENTIIS IVRIS ROMANI ET GERMANICI
IN
HEREDIS INSTITVTIONE VOLVNTARIA

QVAM

IN REGIA FRIDERICIANA

CONSENSV INCLYTI ICTORVM ORDINIS

PRAESIDE

IOANNE TOBIA CARRACH ICTO

IVRIVM PROFESSORE PVBLICO ORDINARIO

PRO GRADV DOCTORIS

DIE XV OCTOBR. CIƆIƆCCXLVI.

H. L. Q. C.

PVBLICE VENTILANDAM EXHIBET

HENRICVS LOESING


EMBDA-FRISO.

HALAE MAGDEBVRGICAE

TYPIS IOAN. FRIDERICI GRVNERTI ACAD. ET SENAT. TYPOGR.

(5)





Q. D. B. V.

DISSERTATIO IVRIDICA INAVGVRALIS
DE
DIFFERENTIIS IVRIS ROMANI ET GERMANICI
IN
HEREDIS INSTITVTIONE VOLVNTARIA.

§. I.



on dubito fore multos, qui propositum, quod dissertatione hac inaugurali tractandum constitui, a iurisprudentiæ ratione alienum ex sola opusculi inscriptione iudicent. Statim enim in mentem reuocabunt, quod heredis institutio ad testamenta pertineat, horum autem apud priscos Germanos teste TACITO *de Mor. Germ. Cap. XX.* nullus plane fuerit vsus, sed quod plerisque

An dentur differentiae Iuris R. et G. in testamentis?

A constet,

conſtet, Germanos ſenſim et ſequiori demum aeuo a Romanis petiiſſe teſtamenta, quod quomodo contigerit pro temporis ordine, atque pro regionum et populorum Germanicorum diuerſitate, fuſe expoſuit B. DN. HEINECCIVS *Element. Iuris German. tum veter, tum hodiern. Lib. II. Tit. VI. §. CXLI. vsque ad §. CXLIV. CLVIII. et Tit. VII. §. CLXXV. vsque ad §. CLXXXVIII.* Cum igitur negotium hoc nobis peregrinum, a Romanis ſingulariter efformatum, ab his in Germanos tranſierit, adeoque nos illud e Latio in Germaniam deriuauerimus; tantum abeſſe videbitur, vt ſolidi quid poſſim comminiſci de differentiis Iuris Romani et Germanici in heredis inſtitutione voluntaria, re prorſus Romana, vt potius IMPERATOR MAXIMILIANVS I. Notarios in conſtruendis teſtamentis ad Ius Romanum ablegauerit, *Ordinat. Imp. de Notariis de anno 1512. art.* von Teſtamenten §. Es ſollen auch ꝛc. *ſeqq.*

§. II.

Quod affirmatur tum in externis.

Attamen praecipiti huic iudicio facilius aliquid largiendum eſſet, ſi quaeſtio inſtitueretur de ſolennibus teſtamentorum externis: quanquam ne hoc quidem caſu omnes iurium in Germania obtinentium differentias deficere, vel ſola citata lex Imperialis indigitat, vt de legibus prouincialibus et Iure Canonico in praeſentiarum nihil dicam; vti quoque ipſe modo laudatus HEINECCIVS *cit. loc.* hac de re non nulla iamiam monuit.

§. III.

§. III.

Quod ſi vero ad interna teſtamentorum animum advertamus; in omnia alia eundum eſſe, arbitror: vtpote in iuris Romani ad intrinſeca teſtamentorum pertinentis prudenti applicatione ad Germaniam plures vna occurrunt differentiae, tum in teſtatore, tum in herede, tum in ipſa teſtatoris voluntate tam circa nominationem heredis, quam circa reliquam de bonis ſuis diſpoſitionem vltimam, tum denique in bonis, de quibus quis vltimum condit iudicium. tum de internis

§. IV.

Praeterquam enim quod Iuris Canonici maior apud Germanos etiam inter proteſtantes ſit autoritas, quam Iuris Romani, illudque nonnulla in teſtamentis conſtituerit a Romanis legibus recedentia, quae late exequutus eſt THOMASIVS *Diſſert. de Differentiis Iuris Ciuil. et Canonici in doctrina de Teſtamentis*, id ipſum, quod maxime mihi obſtare alii forſan putabunt, ſcilicet teſtamentorum peregrina conditio, mihi videtur efficere In foris Germanicis differentias. Ratio prima. Ratio ſecunda.

§. V.

Sane teſtamentorum ius pertinuiſſe ad praerogatiuam iuris Quiritum, et ad ſingularia ciuium Romanorum, atque ſuo modo iuris publici fuiſſe, docemur in primis Iuris- cuius expoſitio prima.

prudentiae Romanae elementis. Sed vbi eſt in Germania illa vrbs, cuius ciues ſingulari iure communi gaudeant? et quomodo teſtamentum apud nos ad eiusmodi iura ſingularia referri aut iuris publici eſſe queat, non liquet.

§. VI.

ſecunda. Romani teſtamenta ſua iudicabant leges a patribus familias de rebus ſuis rogatas. Vnde in ordinandis illis, quae ad teſtamentorum eſſentialia et propria pertinebant, opus erat verbis directis et imperatiuis: atque vti in legibus, ita pariter in teſtamenris, ſaltem quoad heredis inſtitutionem et legata, olim ſtricta obtinuit interpretatio verbis directis non raro magis inſeruiens, quam menti disponentis. Sed nihil eſt, cur Germani teſtamenta habeant inſtar legum, ab antiquis vtentes pactis ſucceſſoriis, vt adeo nobis in ſucceſſionis cauſa nec idem fuerit abuſus regulae, quod ius publicum pactis priuatorum immutari nequeat, vti Romanis, nec in ſucceſſione ordinanda ſpecialem fingere legem patrisfamilias opus fuerit vnquam, nec denique, quamuis diſpoſitionem deceſſoris de bonis ſuis legem dicere velis, conuenit iuſtae interpretationi ſiue legum ſiue aliarum diſpoſitionum. aucupem agere verborum, ſententia autoris probabili ſeu praeſumta eius voluntate neglecta.

§. VII.

tertia. Romani condiderunt teſtamenta Latino ſermone. Vnde par fuit, vt ICti in illis diiudicandis rationem haberent

berent indolis Latinae linguae et verborum Latinorum curarent origines, proprietatem, rationes; qua in re tamen aliquando fuerunt nimii, ita vt interpretamenta verborum angustiis et angulis literarum saepe sint interclusa, et a facti consideratione recedentia: quo ipso saepius leges et testamenta nimis seuere traxerunt ad casus similes, in quibus tamen ratione circumstantiarum dissimilitudo fuit, aut in casu de quo loquuntur nimis durum sensum extorserunt. Cuius naeui inprimis arguuntur Stoae addicti ex CICERONE a GROTIO *de Iur. B. et P. L. II. c. XX.* §. 23. indeque ICti huic sectae dediti, maxime, pro ingenii sui indole Antistius Labeo, eiusque asseclae a THOMASIO *in Comparatione Antisti Laternis et Attoii Capitonis* adde MERILL. *Obs. I. 3.* Ast Germani testamenta non condimus Latina, sed in vernacula: praetereaque testatores iuris imprudentes perspicue haud intelligunt rem testamentariam; quin ipsi illi, quorum consiliis vtuntur in extremo iudicio ordinando, saepe non sunt prudentiores. Idcirco opus est, vt ICti in diiudicandis testatorum voluntatibus rationem habeant genii linguae Germanicae, praesertim significatus popularis potius, quam artificialis, aut eius, quem in arte quidam sibi fingunt inadaequata comparatione verborum Germanicorum et Latinorum, quorum minime eadem est potestas, imprimis si iudicandum de illorum dispositionibus, qui Iurisprudentiam prae se non tulerunt. Maxime cauendum a vitio interpretationis strictae: sed si quid minus accurate dictum vel scriptum sit, de alia tamen testato-

ris ſententia probabiliter appareat, præſumtam eius voluntatem magis quam verborum ſubtilitatem vt ſequatur interpres, neceſſe eſt, quem, ne Stoicae, nec Labeonis, nec aliis ſectis mancipatus ſit, decet. Fieri ergo nequit, vt ſine iniquitate in forum noſtrum trahi poſſint omnia ICtorum Romanorum interpretamenta, quae aut proprietatem vocum Latinarum aut ſtrictam interpretandi rationem ſapiunt, teſtatoris praeſumta voluntate relicta. Neque enim animus mihi eſt extrudendi e foris Germanicis ſcita Romana, ſed cautiones monſtrandi in eorum applicatione prudenti, ne quid hac in re fiat rationi aduerſum. E contrario, cum non deſint in ipſis *Digeſtorum* libris ſpecimina interpretationis iuſtae, cuius rei argumentum elegantiſſimum exhibet ex SCAEVOLAE *Lib. III. Reſponſ. L. 88. §. 17. D. de Legat. 2.* ea potius etiam atque etiam commendo, quemadmodum et PRAESES *Differt. de ſubſtitut. directae argument. in formul. dubia* interpretandi regulas Romanis legibus ex Latii Iuriſconſultorum voluminibus hauſtis ſuffultas tradidit.

§. VIII.

quarta. Certe probe attendendum eſt, quod veteris iuriſprudentiae et ſtrictae interpretationis ratio quoad teſtamenta quoque admodum immutata ſit, inualeſcente magis interpretatione per aequitatem in legibus explicandis et valore iuris perfecti tributa fideicommiſſis, in quibus benigna ſem-

ſemper obtinuit verborum obliquorum et precatiuorum interpretatio, voluntatis defuncti potius, quam vocum rationem habens, quae verba precatiua tamen non minorem efficatiam iure nouo habuerunt in vltimis voluntatibus, quam imperatiua, atque poſtquam tandem Imperator CONSTANTINVS M. in extremis iudiciis omnem ſolennitatem et differentiam verborum directorum ſeu imperativorum et inflexorum ſuſtulit, atque vt eo ſaltem reſpiciatur iuſſit, an liqueat voluntatis intentio *L. 15. C. de Teſtamentis*, vt in ipſo Quiritium iure, ſtatu ciuium Romanorum; et cretione hereditatis mutationes ſilentio praeteream. Hoc ipſo igitur valde derogatum eſt contrariis hac in cauſa veteris iurisprudentiae principiis et concluſionibus inde ex ICtorum ſcriptis in *Digeſtis* frequenter obuiis: vt adeo multo minus locum inuenire queant apud nos, qui nunquam in verborum ſolennium momentis haeſimus, aut iure Quiritium, aut ſtatus iſtius Romani ſpecialis praerogatiua, aut cretionis ſolennitate vſi ſumus.

§. IX.

Abunde ex his efficitur, quod omnino maximae iuris Romani et Germanici in cauſa teſtamentorum interna intercedant differentiae. Sed has omnes, vt in praeſentiarum exequar, inſtituti et temporis ratio non patitur: ſufficiet ergo, vt ſaltem pro ſpecimine inaugurali hac vice animum aduertam ad vtriusque iuris differentias, quae in here- Thema.

heredis inſtitutione voluntaria mihi videntur obſeruandae. Qua in re officio meo me ſatisfacturum puto, ſi præmiſſis, quantum opus eſt, generalibus, ſpecialiores ſubiunxerim differentias: ita tamen, vt magis ad communia principia, quam prouincialia iura reſpiciam.

§. X.

Quid hereditas Romanis.

Nimirum hereditas Romanis partim ſumitur

I) *ſubiectiue*, et quidem vel

α) *ſtricte*, atque dicitur ſucceſſio in vniuerſum ius quod defunctus habuit *L. 24. D. de V. S. et L. 64. D. de Reg. Iur.* Vnde hereditatis appellatio vniuerſitatem quandam ac ius ſucceſſionis demonſtrat *L. 208. D. de V. S.* atque nomen iuris eſt *L. 178. D. Eod.* cuius appellatione nec legata nec fideicommiſſa continentur *L. 96. D. de Legat. 3.* nec bonorum poſſeſſio. Vel

β) *late* accipitur, vt et fideicommiſſa vniuerſalia complectatur, praeſertim poſtquam iura hereditaria in fideicommiſſarium pro rata tranſeunt, et ad bonorum poſſeſſionem pertineat, indigitante inſcriptione *Tituli Inſtitutionum de Fideicommiſſariis hereditatibus et Tituli Digeſtorum de Hereditatis petitione poſſeſſoria atque L. 138. D. de V. S. iuncta L. 128. D. de Reg. Iur.* Partim vero ſumitur aliquando

II) *ob-*

II) *obiectiue*, pro rebus hereditariis, seu pro rebus, quae successione habentur, atque hereditate acquiruntur: quorsum CICERO *in Topicis* respexit, dum hereditas ab eo dicitur pecunia, quae morte alicuius ad quempiam peruenit iure nec ea aut legata testamento, aut possessione retenta. Quamvis ICti plerumque secundum *numerum I.* hereditatem separent a rebus hereditariis, adeo vt eius, qui nihil habeat in bonis, heres esse possit: siquidem hereditatis appellatio etiam continet damnosam hereditatem *L. 119. de V. S.* licet res hereditariae semper sint vtiles, conf. HOTOMANNVM *Comment. verbor. iuris artic. hereditas.*

§. XI.

In Germanica lingua hereditatem reddere solent Erbschafft, Erbe. Nec sine ratione: siquidem vtraque vox continet vtrumque significatum hereditatis, atque tam latum quam strictum §. *praecedente* expositum. Attamen praeterea vtraque haec vox Germanica, siue subiectiue siue obiecta considerata, latiorem adhuc habet ambitum, vtpote qua illi, qui nesciunt, cum Iuris Romani peritis ab hereditate in significatu linguae Romanae accurate discernere caetera lucra affinia, adeo late vtuntur, vt quodcunque lucrum, eiusque acquisitionem, ex morte alterius alicui obueniens ex bonis cuiusdam, indeque legata pariter et fideicom-

An Germanis Erbschafft idem sit?

deicommissa singularia nec non donationes ex morte alicuius praestandas comprehendat: quemadmodum ex pari ratione vocem Vermächtniß tam late patente significatu adhibitam videmus, vt et donationes ex morte praestandas, et legata, et fideicommissa quaelibet, et ipsam hereditatem denotet, confer SCHILTERVM *Exercitat. II ad ff.* §. *XIV. seqq.* et WEHNERVM *Obseruat. Practic. artic.* Erben. Alios horum verborum significatus, vtpote quod aliquando Erbe significet hereditate legitima iure sanguinis nobis acquisita opposita Eigen seu illis, quae aliunde acquisiuimus ipsi, iam transeo.

§. XII.

Quid Romanis heres

Cumque tam verborum quam ipsarum rerum contemplatione relatio sit inter hereditatem et heredem, Erbschafft et Erben, ex dictis de illa §. *X et XI.* facile iudicabimus de hoc. Scilicet Romanis heres iterum

1) *stricte* accipitur, et denotat successorem in vniuersum ius defuncti secundum ius ciuile. Etenim qui ex iure praetorio defuncti bona nanciscuntur proprie non dicuntur heredes: nec minus quam bonorum possessores etiam fideicommissarii ab heredibus presse et vere dictis plerumque separantur §. *2. Inst. de Bonor. possess. L. 2.* §. *f. D. Vnde legitimi* §. *3. Inst. de Fideicommiss. hereditat.* Id autem perinde est, siue

a) quis

α) *quis solus* succedat in vniuersum defuncti ius, qui heres ex asse audit, siue

β) *vna cum alio*, qui tamen pro parte quota nihilominus in vniuersum ius a defuncto relictum succedit. Deinde

II) *late* sumta heredis vox simul complectitur fideicommissarium vniuersalem et bonorum possessorem vna cum herede ciuili. Pariter se res habet cum voce Erbe, quae iterum aliquando heredem, aliquando vero latiore ambitu omnem indigitat, qui quocunque modo quid ex morte et bonis alterius lucratur, siue sit heres et successor qualiscunque in vniuersum ius, siue legatarius, siue donatarius cui quid ex morte cuiusdam praestandum, conf. PRAESID, *Diss. de different. Iur. R. et Germ. in Mort. caus. donation.* §. V. IX. et X. et Germanis Erbe.

§. XIII.

Quo vero alicui constet, vnde hereditatem habere possit, et an eam habeat, commode monet LAVTERBACH. *Compend. Iur. Tit. de Acquir. vel omittend. hered.* quod circa eam consideranda veniant tum hereditatis Hereditatis 1) delatio

I) *delatio*, Germani dicunt der Anfall, qua alicui obvenit hereditas et ius conceditur eam sibi acquirendi; tum hereditaris

II) *acquisitio:* tum denique addi debet hereditatis 2) acquisitio

III) *possessio.* Sed ad institutum meum in praesentiarum saltem pertinet delatio hereditatis, hanc enim tangit heredis institutio, quippe quae est inter causas, quibus hereditas alicui defertur. Acquisitionem autem et possessionem hereditatis explicandam hac vice non curo.

§. XIV.

Delationis causa 1) proxima

Delatio hereditatis latius acceptae contingit partim

I) *a causa proxima*, scilicet

α) *morte decessoris*, si hereditas pure relicta sit, vel

β) *morte decessoris et conditionis existentia*, si hereditas sub conditione sit relicta. Partim vero hereditatis delatio

2) remota

II) *a causa remota* fit secundum

I. Rom.

α) *Ius Romanum*, tam

a) *ciuile strictius dictum*, quam

b) *praetorium*, vel

1) *ab intestato*, seu ex lege generali, cuius causa iterum est aut

aa) *agnatio*, de iure nouissimo post *Nou. 118.* etiam *cognatio*, aut

bb) *patronatus ius L. 22. D. de Acquir. vel omitt. hereditate.* Vel denique delatio fit

2) *ex testamento*, aut

aa) *directe*, heredi scilicet directe instituto, aut

bb) in-

bb) *indirecte* seu *oblique*, nimirum per fideicommissum vniuersale, de quo oportunior dicendi occasio sese offert §. *XVI. et XVII.* Secundum

β) *Ius Germanicum* vero, et quidem — I. Germ.

a) *antiquum*, deferebatur hereditas vel

1) *agnationis* et sanguinis iure, vel

2) *ex pacto successorio*, familia deficiente. Postquam vero testamenta recepta sunt, indeque liberior invaluit de bonis disponendi potestas, et sic

b) *recentiore Iure Germanico* hereditas defertur vel

1) *pacto successorio*, vel

2) *testamento*, vel denique

3) *ab intestato*, sanguinis iure.

§. XV.

Huius loci tantum est causa testamenti.

Ex hisce mihi hac vice saltem primariae curae est delatio hereditatis a causa remota, et quidem speciatim ex testamento. Etenim, quod attinet ad causam proximam, conditio quidem simul consideranda venit: at quod de ea hoc loco monendum est, id ad qualitatem heredis institutionis commode reiici poterit. Neque de pactis successoriis tractatio instituitur, de quibus nuper disseruit PRAESES *in Diurnis Halensibus num. 32.* Omnium vero minime ad intestatam successionem, quae sanguinis iure defertur, iam respiciendum esse, thema docet.

§. XVI.

Quid testamentum Romanis.

Testamentum autem Romanis est vltima voluntas legitime declarans heredem directum. Equidem in heredis directi declaratione, tanquam forma substantiali, testamentum Romano Iure ab aliis vltimis voluntatibus, adeoque a codicillis discernitur, quippe quibus hereditas directe nec dari nec adimi potest §. 2. *Institut. de Codicillis.* Quanquam apud Romanos etiam fieri potuerit, vt dispositio vltima, quam testator testamentum dixit, in codicillos degeneraret, si nimirum quid peccatum sit in requisitis testamenti, obseruatis tamen codicillorum requisitis: quo casu virtute clausulae codicillaris, vel adiecti iurisiurandi, vel si alias enixa testatoris voluntas appareat *L. 77. §. 23. de Legat 2. et L. 88. in fin. eod.* dispositio valet tanquam codicilli euentuales directi ad heredem intestatum vt dispositione ordinata iure fideicommissi praestet, vnde testamentum tale dicunt codicillos euentuales, et modum interpretandi verba testamenti aestimant PERILL. DN. CANCELL. REGIM. ET ACAD. DIRECTOR BÖHMERVS *Introd. in Ius Digest. Tit. de Codicill.* §. *6. et* B. STRYK. *de Cautel. Testament. c. 23. et 31.* Germani autem vocem **Testament** adeo lato sensu vsurpant, vt non solum comprehendat testamentum Romanis proprie dictum, quod nunc descripsimus, sed etiam omnem dispositionem, qua alicui quid confertur lucri ex morte alicuius, siue codicilli sint, siue pacta successoria, sive donationes ex morte praestandae, vel etiam aliquando alia instrumenta, B. HEINECCIVS *Elem. Iur. Germ. L. II. Tit. VII. §. CLXXX seq.*

Quid Germanis Testament.

PRAES.

PRAESES *Diss. de Donat. mort. caus. cit. loc.* Cum enim apud Germanos pacta successoria non minus ius succedendi tribuerint, quam apud Romanos testamenta, atque vix quisquam nisi Romana iura edoctus sciat, quid hæc ab illis distent, et quale intercedat discrimen inter testamentum et codicillos: mirum non est, quod tam lato in ambitu vulgo vsu veniat vox **Testament.** Neque magis intelligunt iuris imperiti argutias testamentariorum, qui testamentum reddunt **letzter Wille, letzten Willens-Meynung,** quasi haec locutio clarior sit, aut quasi codicilli non æque sint vltima voluntas: vel si alii dicant **zierlich Testament,** et codicillos vocent **Neben-Wille.** Idcirco I) merito colligere possumus ex his, quod in Germania, qui disponit de bonis suis, sub vocabulo **Testament, letzter Wille,** non praecise intelligat testamentum ex mente Romanorum, sed in dubio dispositionem quouis meliori modo valituram, quamvis id non nisi codicillorum iure fieri possit. Hinc II) adhuc magis est apud nos cuiusuis testatoris enixa voluntas, quam quae apud Romanos Lucii Titii fuit in *L. 88. §. 17. de Legat. 2.* vt iudicium suum exitum habeat, quem possit, si forsan aliquid minus legitime minusue perite fecerit. Quapropter III) id ordinarie intendit, quod sibi vult clausula codicillaris adiecta: adeoque dubitandum vix est, eam, licet omissam, virtualiter inesse dispositioni, et subintelligandam esse. Neque IV) errant, qui in foris clausulæ huic, tum adiectæ, tum subintelligendæ, maiorem tribuunt vim, quam supplendi solennitatis externæ defectum, et ad interna

na quoque extendunt, PERILLVSTR. DN. BÖHMERVS, STRYKIVS *cit. locis.* GAIL. *II. obs. 114. et 134.* SANDE *L. IV. Tit. 1. Def. 12.* HVBER, *ad I. Tit. de Iure Codic. in f.* TITIVS *Iure priv. L. VII. c. 3. §. 38. seqq.* excepto eo, si quid circa facultatem disponendi vel acquirendi aut circa voluntatem deficiat.

§. XVII.

Quid heredis institutio.

Facile nunc constat, quod heredis institutio, **die Einsetzung zum Erben**, eadem ambiguate laboret, quam de ipso heredis termino accepimus §. *XII.* quippe quæ generatim considerata est designatio futuri heredis: adeoque tam quoad Latinum dicendi modum quam quoad Germanicum redit ad omnia ea, quæ *cit.* §. tradita sunt. Cæterum heredis institutio in varias dispescitur species. Nempe.

I) *a forma* est vel

a) *directa*, quæ antiquo I. R. concepta erat verbis directis et imperatiuis; quibus autem sublatis iure nouo post *L. 15. C. de Testam.* et in Germania inde est iudicanda, si ita sit concepta, vt heres designatus *immediate* succedere debeat testatori. Eaque iterum est aut

a) *necessaria*, qua testator ex legis ciuilis præscripto beneficentiam in officium perfectum mutante eos, cui lex legitimam hereditatis portionem tribuit, aut instituere aut secundum legis præsctiptum exheredare tenetur. Aut est

b) vo-

b) *voluntaria* quae humano teſtatoris arbitrio relicta eſt, quem, ſi modo habilis ſit, heredem inſtituere velit, ſiue teſtatori non ſint, quibus legitima debetur, ſiue, qui ſunt, aut legitima ſua honorati aut rite exheredati ſint. Vel praeterea eſt

β) *obliqua ſeu fideicommiſſaria*, quae verbis obliquis et inflexis id eſt praecatiuis, ſeu iure nouiore ita fit, vt heres teſtatori *mediate*, ſcilicet mediante reſtitutione hereditatis ab herede intermedio facienda, ſuccedere debeat. Deinde

II) *ab adiuncta qualitate*, tum

α) reſpectu *ordinis* eſt vel

a) *prima*, quae vulgo heredis inſtitutio dicitur, vel

b) *ſecunda*, ſeu ſubſtitutio, cuius iterum variae ſunt ſpecies de quibus PRAESES *Diſſ. de Subſtit. directae argum.* tum denique

β) *reſpectu modi*, quo teſtator liberalitatem ſuam reſtrinxit eſt vel

a) *pura*, vel

b) *conditionata.*

§. XVIII.

His expoſitis haud difficulter addere poſſumus ſpecialiores quaſdam obſeruationes de differentiis Iuris vtriusque in heredis inſtitutione. I) Initio quidem intuitu voluntatis teſtatoris multi hanc notant differentiam, quod Romano Iure certum ſit, 1) quod nec teſtamentum nec itaque

Differentiae ſpeciales I) quoad voluntatem teſtatoris 1) de hered. inſt. in arbitr. alien. collata.

que heredis institutio aperte et directe possit conferri in arbitrium tertii *L. 32. D. de Heredib. instituend.* licet indirecte id fieri queat, dum testator heredis institutioni adiicit vel *α*) conditionem, ex alterius voluntate pendentem; vel *β*) modum, cuius determinationem alterius tanquam boni viri arbitrio committit. Sed in Germania *α*) ex Iure Canonico per *c. 13. X. de Testament. iunct. c. 18. X. de V. S.* id admittunt multi, vid. SCHILTERVM *Exercitat. XXXVIII.* §. *83.* THOMASIVS *cit. Differt.* Sane grauissimum est, quod contra vniuersalitatem huius differentiae ex collatione vtriusque textus cum fontibus suis mouetur dubium, quod textus isti saltem pertineant ad determinationem eorum, quae relinquuntur in animae salutem, quemadmodum id ipsum indigitare videntur, quae *c. 18. cit. ad verb. et infra* adiecta deprehendimus. Interim tamen vulgaris sententia, quae generalem regulam ex *c. 13. cit.* deducit, menti Iuris Pontificii magis conuenire videtur. Quanquam enim Pontifici INNOCENTIO III. ab Episcopo Altissiodorensi quaestio esset proposita de Canonico, qui dispositionem suam animae causa ordinatam in alterius arbitrium contulerat determinandam: nihilominus generaliter, et per rationem generalem, ad speciem sibi oblatam respondet Papa, *qui extremam voluntatem* IN ALTERIVS DISPOSITIONEM *committit, non videtur decedere intestatus*, ita ut Episcopus Altissiodorensis ex regula hac generali speciem obuenientem ipse diiudicare debeat. Generali huic intentioni papali quoque fidem facit, quod ad *cap. 18. cit. verb. et infra* adie-

ctus

ctus tenor quaestionis propositae nimis generaliter tractet de illis, *qui in dispensatione et voluntate alterius suam committant vltimam voluntatem*, *NIL PER SE PENITVS ORDINANTES, nec determinantes cui loco vel PERSONAE conferri debeat.* Certe GREGORII IX autoritate RAYMANDVS generalem illam regulam Decretalibus *cit. cap. 13.* ita clare, et absolute inseruit, vt vix opus sit interpretis officio causam occasionalem huius epistolae decretalis circumspiciente. Neque, si abstrahamus ab hypothesi Romana, quod testamenta legis vel mancipationis familiae modo fierent, naturalis ratio dari poterit, cur dispositio talis subsistere nequeat. Sed quidquid sit: β) id tamen verum est, quod ex veteris iuris reliquiis in multis Germaniae locis vel de bonis hereditariis **Erbe**, vel etiam de reliquis testandi facultas restricta sit ad necessariorum consensum HEINECCIVS *Diss. de testamentif. iure German. arct. limuit. circumscr.* Sic patriae meae iura testandi facultatem saltem permittunt non aegrotantibus, qui describuntur, **also lange de Menschen gesunt, gaende, staende, etende, drinckende, von yener Kranckheit wetende** *Jure Prouinc. Frisico Lib. II. art. 196.* Exaduerso ægroto nemini lectulo adfixo integrum est, citra heredum ab intestato consensum extraneo quid per modum vltimae dispositionis, praeter sex aureos boni auri ac iusti ponderis, quos dare legare potest sanctis, i. e. ecclesiis eorumque ministris *Jur. Prouinc. Frisico Tit.* **Wo voele een Minsch up syn Krancken Bedde mag vergeven,** *item*, **wat men vergeven mag, als eenes**

up syn Krancken Bedde ligt, *ut et*, von Gave int Testament te geven. Verum enim vero in nonnullis exemplis huius Legum Codicis, illis ipsis textibus insertae sunt interpolationes, quae prohibitionem illam duntaxat ad dispositiones in fauorem cleri et ecclesiarum factas restringunt. Nec hactenus in Frisia determinatum est, quodnam exemplum in diiudicandis controuersiis praeferendum sit: inde inconstans hac in re adparet fori vsus, nunc dispositiones aegrotantium seruans nunc easdem pro inualidis daclarans. Illustriores casus ex recentioribus, in quibus sententia, prohibitionem duntaxat ad dispositiones in fauorem cleri et ecclesiarum factas restringendam esse, per rem iudicatam corroborata est, inueniuntur in actis coram Dicasterio actitatis, veluti causa Jan Brauwer et Consorten contra Pastorem Jacobs vxor. nom. et Consort. ab exteris ICtis ita decisa esse. Ex aduerso annno 1722 die 2 Sept. a Praefecto Dynastiae Dornumanae ad consilium Rintelensium ICtorum publicata est sententia vltimam aegrotantis voluntatem declaratam, de iure non subsistere declarans in causa Tomcke Hubben contra Anna Focken. Contra nuperrime Excelsum Cancellariae Tribunal, in causa adhuc pendente Meint Gaten vxor. nom. contra viduam Garbrand Claasen et Consorten, vbi ille testamentum dicti Garbrand Claasen, ex quo vidua heres scripta erat ex asse, impugnabat imputata testatori et animi dementia et corporis aegritudine, super probatione eum in modum interlocutum est, vt actori iniunxerit probationem, testa-

torem

torem tempore conditarum tabularum mentis suae non fuisse compotem, nihil plane statuens de altero contra testamentum grauamine, aduersa nimirum valetudine, certo indicio, summum Tribunal huius puncti probationem nihil releuaturam habuisse. Quanquam absoluta prohibitio magis conformis sit veteribus Germaniæ moribus *l. Prov. Sax. L. 1. art. 52.* aeque ac reliquis hac in re dispositionibus Iuris nostri Prouincialis. Quatenus itaque in quibusdam Germaniæ locis extraneum heredem instituere non licet sine consensu necessariorum adeoque in arbitrio horum est, cuius in fauorem consensum dare velint, eatenus certe heredis institutio ex eorum arbitrio et pendet et in illud conferri potest.

§. XIX.

Præterea 2) disputari solet de valore heredis institutionis, quam heres e blanditus est, aut persuasionibus obtinuit: sed quia blanditiarum vis non externa, sed interna saltem est, adeoque, nisi dolosæ, vel intempestiuæ et vrgentissimae fuerint, vt violentiae instar pro infirmitate testatoris habendæ, illas voluntatem testatoris in heredis institutione non magis vitiare existimo, quam consensum in conuentionibus, siue respiciamus Ius Romanum *arg. L. vlt. D. et C. Si quis aliq. test. prohib. L. 70. D. de hered. instit.* siue naturalem rationem in Germania consideremus. B. STRYK. *Diss. de Iure blanditiar. n. 25. seqq.* PERILL. DN. BÖHMERVS *Introd. in* 2. de blanditiis.

 Ius

Ius Dig. Tit. Qui testam. fac. poss. § 6. Licet enim eiusmodi bonorum captatio sordiriem redoleat: non tamen omne sordidum statim est iniustum nec dispositionem vitiat. Qua de causa hac in parte differentia iuris secundum principia communia quidem deficit. Ast patrium ius hac in re silentio transire nequeo, quod *Ius Prouinc. Fris. art.* Wo voele Erven men in Testament setten mach decernat, blanditias non vitiare vltimam voluntatem, qua coniux coniugem honorauit. Vnde non sine ratione dicendum, quod patrium Ius intuitu aliorum liberalitatem vltimam blanditiis elicitam iudicet nullam.

§. XX.

II. de herede.

Haec de testatore: succedant II) differentiae circa heredem. In hoc generatim requirunt leges Latii 1) vt possit succedere in ius ciuis Romani, et 2) hereditatem cernere. Verum vti prioris asserti ratio fundata est in dictis §. *V. et VI.* ita postquam eadem *ibidem* remota a Germania, neque conuenit nobis inde deducta conclusio. Necmagis nobis aptum aut vsitatum est posterius assertum, nempe cretionis solennitas. Nihil ergo requirimus, quam 1) ne iuri acquirendi heredis obstet ius retorsionis, et 2) ne quis speciali lege prohibeatur ex causis ad nos quadrantibus aut legibus patriis. Hinc

α) de seruis.

a) I. R. serui qua tales heredes institui non poterant. At in Germania homines proprii qua tales institui possunt, nec dominis suis sed sibi hereditatem acquirunt, quamuis sint veri

veri serui: siquidem habent ius acquirendi sibi ipsis, extra censum, mortuarium et operas, quae domino cedunt. HOPPIVS *Comment ad Inst. ad §. 4. Tit de Iure personar. et ad pr. Tit, Per quas pers. cuique acquirat.* PRAES. *Diss. de Differ. I. R. et G. in Peculio.* Vnde β) licet I. R. seruus testatoris esset heres necessarius: hoc tamen Iure Germanico vix ac ne vix quidem dici poterit HOPPIVS *ad §. I. Tit. Inst. de Hered. qualitate et differentia:* nam qui habet ius acquirendi, habebit et ius acquaestum omittendi. γ) Romano iure ex eadem ratione peregrini non poterant institui: nam *authent. omnes peregrini. C. Comm. de Success.* ad Ius Rom. proprie non pertinet. Sed Germanico iure possunt: nisi ipsis obstet ius retorsionis. δ) Quam ob rem apud Romanos quidem heredis institutionem vitiat capitis deminutio heredis. Quae in Germania nihili est. Banniti vero huc non pertinent, et de his vide SCHILTERVM *Exercit. XXXVIII. §. XXI. seqq.* Deinde ε) de haereticis non instituendis prohibitio Romana in Germania inde limitationem capit, si haereticos toleret respublica. Contra haereticos tamen, qui reipublicæ alius subditi sunt, aliquando locus est iuri retorsionis. Speciatim ζ) quoque prohibuit Ius Romanum, ne coniux secundo coniugi plus relinquat, quam vni ex liberis prioris matrimonii *L. 6. C de secund. nupt.* quam tamen prohibitionem non omnis Germania servat, tum ex reliquiis communionis bonorum, tum quod statutaria portio alicubi maior sit; sed hanc rem plenius pertractauit EXCELLENTISSIMVS CONSIL. AVLIC. DN. KNORRIVS *Diss. de Iure coniug. nuptias iterantis*

β) an fint heredes necessarii.

γ) de peregrinis.

δ) de capite minutis.

ε) de haereticis.

ζ) de coniuge

rantis

η) singulare Frisiae.

rantis ad L. 6. C. de sec. nupt. Postremo η) quoad heredis institutionem voluntariam et necessariam in patria mea saltem monere debeo, quod expressa exheredatione opus sit, quoties quis aut remotiorem agnatum aut extraneum praeferre velit propinquiori, quisque sit ille propinquior, quamuis neque descendens, nec ascendens, nec frater aut soror sit *Iure Prouinc. Frisic. art.* **Erven in Testament to noemen.**

§. XXI.

III. de institutione heredis ipsa.

1) an de essentia testamenti.

Transeamus nunc III) ad ipsam heredis institutionem seu declarationem voluntatis testatoris de herede futuro. Equidem 1) accepimus §. *I. et XVI.* quod directa heredis institutio I. R. pertineat ad substantiam testamenti, hoc a codicillis discernentem. Ideoque α) nec testamentum esse poterat sine heredis institutione directa, nec β) haec subsistere poterat sine testamento. Attamen Germanos α) scire **ein Testament** sine heredis institutione directa, quamuis alio sensu quam Romano, et sequitur ex dictis §. *XVI. et XVII.* et obseruauit B. DN. HEINECCIVS ELEM. IVR. GERM. *Lib. II. Tit. VII. §. CLXXXVIII. et CXCI.* Et vice versa β) datur heredis institutio dierecta sine testamento: siquidem pactis successoriis, quae dici solent acquisitiua, constitui potest heres, qui succedit immediate decessori in eiusdem vniversum ius *per* §. *XIV. n. β. et* §. *XVI. seq.* atque pacta successoria Germanis semper praestiterunt tantum, quantum testamenta

menta Romanis. Vnde γ) porro ſequitur, quod qui ſucceſſionem ſuam pacto ordinauit, in effectu non decedat inteſtatus. Sequitur ergo, ſi Primus pacto familiae Secundo promiſerit ſucceſſionem in caſum, ſi primus ab inteſtato moriturus ſit, poſtea vero Primus vxorem ducat Tertiam, et pacto dotali hanc faciat heredem, poſteaque moriatur Primus, quod Primus non ſit ab inteſtato mortuus, adeoque nec conditio exſtiterit, ſub qua hereditas Secundo erat promiſſa, nec huic hereditas delata ſit §. *XIV. 1.* β. Perinde eſt 2) Iure Romano, qualecunque ſit teſtamentum, an ſolenne, an ex priuilegio minus ſolenne ſit. Idem I. G. Sed ex patriae legibus id addo, quod non vitietur teſtamentum foeminarum, ſi contra ſolennia peccauerint: niſi id a marito vel a proximis conſanguineis ſolennitatis omisſae arguatur *Ius Prov. Friſ. art.* **Wanner eine Frouwe oere Teſtement macket.** Id etiam 3) notum eſt, quod Iure Romano plures quidem potuerint inſtitui heredes etiam directi, ſed non niſi in vno teſtamento: Romanis quippe a re alienum quid videbatur, eundem duas habere vltimas voluntates; niſi quod α) miles poſſet cum pluribus teſtamentis decedere *L. 19. pr. D. de Teſtam. milit.* et β) quod, ſi pagani duae exſtent tabulae ſimul ſignatae, in quibus diverſi heredes ſcripti, praetor dederit poſſeſſionem bonorum ſecundum tabulas ex vtroque codice, tanquam ex vno *L. 1. §. 6. D. de Bonor. poſſeſſ. ſecund. tab.* Aſt hoc ipſum docet, theſin iuris ciuilis ad ſubtilitatem parum aequam a praeſumta intentione teſtatoris recedentem reduxiſſe a praetore per

2) et quidem ſolennis.

3) et vnius.

D in-

indirectum temperandam: nam nec contradictionem inuoluit, eundum mori cum duobus testamentis, siquidem tabulae ante mortem testatoris potentia saltem, non dum actu testamentum sunt, sed demum fiunt actu vltima voluntas et testamentum morte testatoris; et sic testator non cum duabus vltimis voluntatibus decedit, sed saltem cum vna, quae tabulis duabus continetur. Nec aduersatur, quod testamentum legis instar fuerit: etenim legi potest capitulum addi. Vix itaque excusabis Romanos, nisi forsan a familiae mancipatione. Quid vero in Germania ab eiusmodi duritie iuris ciuilis subtilis aliena prohiberet, quo minus quis paganus ipso iure ciuili cum pluribus testamentis decedat. Certe id fit non solum α) ita, vt altera dispositio cum testator vtramque dixerit **Testament**, valeat iure codicillorum et fideicommissi §. *XVI.* verum etiam β) continget, vt iure ciuili Germanico vtraque dispositio recto iure valeat, si nimirum quis aliqua in parte hereditatis quota pacto nominauerit heredem, vid. *cit.* §. *XVI. et num. 1) huius* §. et postea de reliqua hereditatis parte testamentum condat more Romano. Caeterum 4) iam supra §. *VI. vsque ad* §. *VIII. inclus.* dixi, quod veteri iure Rom. heredis institutio concipi debuerit verbis directis et dispositiuis ac imperatiuis, quibus stricta interpretatione inhaeserint. Idcirco α) in conditione positi non visi sunt instituti *L. 8. D. Si quis omiss. caus. L. 114. §. 13. de Legat. 1.* Pari ex ratione β) pro perplexa et inutili habebatur heredis institutio e. g. Si Titius heres erit Seius heres esto, si Seius heres erit, Titius heres

esto,

esto *L. 16. D. de Condit. institut.* Sed immutatis iure Romano recentiore principiis antiquis *per L. 15. C. de Testamentis*, minime conuenit, ut veteris iuris conclusiones in forum Germanicum transferamus: verum vti quaelibet voluntatis declaratio, siue tacita siue expressa vel implicita vel explicita, atque verba enunciatiua sufficiunt, et adhibenda semper interpretatio benigna voluntati testatoris inseruiens §. *VI. VII. et VIII.* ita *α*) omnino instituti sunt censendi, qui in conditione positi sunt, nec β) inutilis erit institutio *in cit. L. 16.* proposita, cuius sensus est, quod et Seius et Titius simul coheredes debeant esse instituti, ita tamen vt alter sine altero fieri non debeat heres THOMAS. *Not. ad Pand. Tit. de Condition. Instit.* Quoniam vero verba directa sublata sunt, et in Germania ambiguus est significatus verborum **Testament, Erbe, Erben einsetzen, vermachen:** quaeritur merito δ) unde heredis institutio a legato, et directa a fideicommissaria sit discernenda? Equidem facile est ad intelligendum, quod *α*) heredis institutio proprie dicta ex obiecto vniuersali a legato, cuius obiectum est res singularis, discerni queat. β) Quod vero attinet ad discretionem heredis institutionis directae et obliquae, seu fideicommissariae. vide §. *XVII. num. I. α et β.* atque PRAESIDIS *differt. de argum. subftit. directae.* 6) Vnde cauendum ne testamentum praeteritionis vitio laborare iudicemus, si ei, cui legitima debetur, pars quota hereditatis relicta sit verbo **vermachen.**

Character institutionis et legati, directae et obliquae.

§. XXII.

IV) de obiecto institutionis.

IV) Specialiora quaedam autem de obiecto consideremus. Hoc omnino secundum modo dicta §. *XXI. n. 5.* in heredis institutione testamentaria stricte et proprie tali est vniuersum ius defuncti §. *X. XII. n. I. α et β et* §. *XVII.* adeo vt ius Romanum non patiatur eundem in paganis et testato et intestato decessisse, earumque rerum naturalem inter se pugnam esse crediderint, testatum et intestatum *L. 7. D. de Reg. Iur.* Verum praeterquam quod iterum exinde, quod in militi aliud permittatur, arguat insufficientiam rationis, naturalis illa pugna iterum non est absoluta, sed tantum admittenda esset, si quis pro eadem hereditatis parte simul testatus et intestatus decederet, minime vero, si id de diuersa hereditatis parte fiat, super diuersis enim non stat contradictio. Nec obstat, heredem Romanis esse successorem in vniuersum ius: nam qui, pro parte quota heres est, etiam est successor in vniuersum ius; vnde non impedit, si quis pro parte ex testamento heres sit, ne quis alius pro altera parte heres sit et in vniuersum defuncti ius succedat ab intestato. Falluntur ergo Romani aucupio verbi, et ab eo quod secundum quid contradictorium est, illud simpliciter ponendo: nisi eos forsan a stricta legum indole antiqua, aut a familiae mancipatione, primorum testamentorum forma, excuses. Sed cur ad has hypotheses in interpretanda voluntate defuncti vltima Germania sit adstricta, mihi non apparet. Neque id admittit ratio Iuris Germanici tum quod pactis successoriis siue dotalibus siue

De testato et intestato simul.

aliis,

aliis, tum quod ſtatuta alicui, veluti coniugi, certam vniverſi iuris defuncti partem quotam in ſucceſſione, adeoque hereditatis partem aſſignent, de reliqua vero teſtamento diſponat teſtator, quo ipſo ſit, vt omnino quoad ius Rom. deceſſor mortuus ſit pro parte teſtatus et pro parte inteſtatus. Monuit nos iamiam hac de re SCHILTERVS *cit. exercit.* §. *LXXX. ſeqq.* adiectis in vtramque ſententiam legibus prouincialibus et auctoribus. Imo ſepoſita hac quaeſtione alia tamen ratione apud nos voluntati defuncti, qui de parte quadam bonorum, ſiue quota ſiue quanta, ſaltem diſponere voluit, conſulendum: ſcilicet diſpoſitio, quam defunctus Teſtament dixit, nihil eſt quam codicilli ad heredes inteſtatos directi fideicommiſſum, vel legatum continentes, et Erbe in parte quota inſtitutus eſt fideicommiſſarius, in parte quanta ſiue re ſingulari ſcriptus eſt legatarius, quod etiam in quibusdam caſibus agnouerunt Romani *L. 35. §. 1. et L. 13. C. de hered. inſt.* Hinc 1) I. R. quidem heres ſolus in parte quadam aut re ſingulari inſtitutus totam hereditatem accipit *L. 1. §. 4. D. eod.* et 2) pluribus inſtitutis, aſſignatis cuique vnciis, ita inter eos diuidenda hereditas tota, vt ex aſſe nihil ſuperſit. Sed vtroque caſu in Germania heres ſcriptus contentus eſſe debet cum eo, quod teſtator ipſi adſcripſit: niſi de mente alia liquido conſtet. 3) Iure Romano tale teſtamentum rumpebat prius; quod in Germania non vtique dicendum, quod diſpoſitio plerumque pro codicillis haberi poteſt.

de inſtit. in parte aut re certa

§. XXIII.

V) de ſpecieb. inſtitution. 1) de ſubſtitutione.

V) Addenda pauca ex qualitate heredis inſtitutionis et inde dependentibus ſpeciebus. Et 1) primo quoad ſubſtitutionem vulgarem α) I. R. ea euaneſcit, ſi inſtitutus adierit, ſed contra aditionem reſtituatur *L. 3. §. 4. L. 7. §. 10. D. de Min. L. 5. C. de Vulg. ſubſt.* ex ſubtili interpretatione verborum, ſi inſtutus *heres non erit.* Sed dubito, an contra praeſumtam voluntatem defuncti in Germania idem dicendum. Deinde β) deciſio caſus *in §. vlt. Inſt. de Vulg. ſubſtit. et. L. 40. et 41. D. de Hered. inſtit.* a contradictione parum abeſt, quin non conuenit cum *L. 9. D. L. 3. et 4. C. de Hered. inſtit.* Aſt in Germania vtroque caſu in *cit. §. vlt.* contento euaneſcere debet ſubſtitutio, quia inſtitutus hereditatem ſibi acquirere poteſt per dicta §. *XX.*

§. XXIV.

2) de conditione.

2) Quoad inſtitutionem conditionatam, praeter deducta §. *XXI. n. 4. α.* ex principiis ibidem expoſitis adhuc fluere mihi videtur et Iure Romano nouiore poſt *L. 15. C. de Teſtam. et N. 115.* et in Germania de conditione qualicunque legitimae adiecta, quod valeat, ſi ſimul addatur iuſta exheredandi cauſa, ita vt vel inſtituatur is, cui legitima relinquenda, vel exheredetur ſub conditione: neque enim amplius poteſt dici praeteritus conditione deficiente, et quem

quem pure exheredare queo, cur non eundem ſub conditione aut inſtituere aut exheredare poſſem.

§. XXV.

Tandem 3) quoque de die conſtat, quod adiectus heredis inſtitutioni habeatur pro non adiecto, ſed pura ſit heredis inſtitutio: ne teſtator pro parte deceſſiſſe videatur teſtatus et pro parte inteſtatus. Sed in Germania conſuli poteſt voluntati defuncti, ita vt dies attendi queat. Etenim *α*) ſi heredis inſtitutio facta *in diem*, implicite continet fideicommiſſum, quo *inſtitutus* hereditatem die veniente reſtituere debet teſtatoris proximis. β) Si heredis inſtitutio facta ſit *ex die*, diſpoſitio habenda pro codicillis directis *ad heredes inteſtatos*, vt hereditatem fideicommiſſi iure praeſtent *inſtituto*, vbi dies venerit: collineat huc PERILLVSTR. DN. BOEHMERVS *Introd. in Ius Dig. Tit. de Iur. Codicill.* §. 7. *n. 3. et* §. *9.* 3) de die adiecto.

§. XXVI.

Sufficiant haec de praecipuis differentiis Iuris Romani et Germanici in heredis inſtitutione voluntaria ſpeciminis inauguralis loco propoſuiſſe. Coronidis loco addo, quod Iure Rom. quilibet heres ex teſtamento nullo vitio viſibili laborante gaudeat remedio *L. f. C. de Edicto D. Hadr. tollend.* Attamen iure patrio 1) hoc non aliter procedit, niſi heres inſtitutus fuerit ſimul proximus neceſſarius de remed. L. f. C. de Edict. D. Hadr. toll.

cessarius, und is darto de Sibbest, *Ius Prov. Fris. art.* Erven im Testamente tho noemen. Ex aduerso II) ex testamento foeminae, vtut in solennibus visibile adsit vitium, remedium competit: nisi agatur contra maritum vel proximum necessarium per dicta § *XXI.*

TANTVM.

ERRATA.

p. 5. lin. 13. lege *Antistii Labeonis et Atteii.*



NOBI-

NOBILISSIMO

DOMINO CANDIDATO

S. P. D.

PRAESES.

M*Etam studiorum consecutus dum Iurisprudentiae stadium exacto in Fridericiana hac quadriennio, rite decurristi, merito exornandus es corona Doctorali. Etenim indefessam tuam in addiscenda, praeter Philosophiam et Historiam, scientia legitima adhibitam assiduitatem, et testantur omnes, quorum institutione fructus es Antecessores per orbem famigeratissimi* PERILLVSTRIS CANCELLARIVS REGIMINIS ET ACADEMIAE DIRECTOR DN. BOEHMERVS, et EXCELLENTISSIMI DOMINI CONSILIARII AVLICI DN. WOLFIVS, KNORRIVS, SCHLITTIVS, BOEHMERVS *Filius, profectus vero tuos egregios toti ICtorum ordini inclyto in examine vtroque praestitisti, adeo vt Tibi iam sint decreti summi in Iure vtroque honores. Non possum ergo non Tibi hac de re ex animi sententia gratulari, praesertim cum in meis quoque scholis et initium et finem addiscendae Iurisprudentiae facere volueris. Opto, vt felix ad patrias redux fias oras, ibique ea, quae hic profecisti, in Gloriam Dei, patriae Tuamque salutem conuertas in vsum: in quem finem Tibi cupio, vt summus gradus honorum academicorum sit primus ampliorum dignitatum in republica propediem impetrandarum. Vale. Dab. Halae Magdeb. die XIII. Octobr. Anni* CIↃ IↃ CC XLVI.

Solt

olt' ich wol vermögend seyn, bei den neuen Lorber-Zweigen,
Die Minerva Dir zum Lone des bezeigten Fleisses schenkt,
Nicht zu Deinem Purpur-Hut voller Inbrunst hinzusteigen?
Nein! Du bist das schon versichert, was Orestens Herze denkt.
Nim daher, Hoch-Edler Freund, von den echten Libes-Flammen,
Die das löbliche Bezeigen Deiner treuen Brust vermert;
Die auch izt, wie sonst gescheh'n, aus dem reinsten Feuer stammen,
Einen gleichen Funken hin. Höre! was mein Wunsch begert:
Hochgeschäzter! ob Du schon einen seltnen Rum erhalten,
Sei doch dis von Deinem Glükke nur das erste Morgen-Rot;
Eine reiche Segens-Hand mus ob Deinem Scheitel walten,
So bemüht man sich vergebens, wenn man Deinem Wohlseyn droht;
Deine Zeiten müssen Dir ein beständger Früling bleiben,
Den kein grauser Wind aus Norden, wol ein sanfter West durchstreicht.

Lebst

Lebst Du so, so kan ich mich durch Dich gleichfals glük-
lich schreiben,
Weil in Deinem Wolergehen mein Vergnügen hö-
her steigt.

Mit diesen wenigen Zeilen hat dem HochEdelgebornen und Hochgelarten Herrn Doctori seinen gehorsamsten Glük-Wunsch abzustatten, und Dessen ferneren Gewogenheit sich zu empfelen nicht ermangeln sollen,

Desselben

gehorsamst-ergebenster Diener,

Tiarcko Wallendorph Marcelius.
Opp. Ord.
Emda-Frisius-Orientalis.

Enfin VOUS recevés la digne recompense
Qui se doit justement à VOTRE profonde science.
Allés dans NOTRE patrie comble! de tant d'honneur,
Servés la fidelement, et faites son bonheur.
Cependant prennés soin d'aimer tous VOS amis
Dont je toûjours un vrai et très soûmis.

Ce sont les vœux, que fait en ce peu de mots pour Monsieur le DOCTEUR SON très-humble et très-respectueux Serviteur et veritable Ami

F. W. Homfeld. Opp.
d'Emden en Ostfrise.

Zieh heute noch den Purpur an,
Erhalte nur den Doctor-Tittel,
Denn er gehöret keinem Mann,
Der etwan unerhörte Mittel
Zu seinem Ansehn aufgerafft.
Nein, Kunst Gelehrsamkeit und Stärcke
In Ausübung gelehrter Wercke
Sind dieser Würde Eigenschaft.
Und diese sinds, die Du besitzt;
Daher must Du vor solche Gaben
Vor dem, dem diese Zier nichts nützt,
Gantz billig diesen Vorzug haben.
Geneuß daher mit froher Lust
Die Ehr, die diese Würde bringet,
Und laß es seyn, daß meine Brust
Deswegen diesen Tag besinget.
Doch bitt ich Dich, die Freundschaffts-Pflicht
Abwesend nicht hintan zu setzen;
Ich will sie, wie mein Mund verspricht,
Auch in dem Hertzen nicht verletzen.

Durch gegenwärtige Zeilen wollte dem Herrn Doctori zur erlangten Würde ergebenst Glück wünschen

Desselben

ergebenster Diener,
Carl Friedr. Bætcke Brandenb.
Opp. Ord.

Po-

Ponens ſecundis omnibus grauem,
PLOESINGE, pugnam plauſibus accipis
Laetis triumphalem corollam
Caſtra ſacrae Themidis ſequenti
TIBI dicatam, nobilis indicem
Mentis patentem: iuſtaque praemia
Ceruicis exornant cacumen
Auſpiciis data prima dextris.
Laudes celebres Friſionum genus
Parabat olim fortis acerrimus
Mucronibus ferri: cruenta
Tempora ſaepeque mille lauros
Cinxiſſe conſtat numine Martio.
Aſt nunc auorum TV recolens decus
Ductum vereris atque ſigna
Inclyta iuſtitiae nitentis,
Huiusque ſanctis auſpiciis fruens
TV tela ſumis fortia Delii;
Sed arma Martis eruditi
Vincere TE faciunt ouantem.
Priſcumque ſicut Romulidum genus
Conſueuit amplis cingere tempora
Probi coronis, qui mouebat
Interitum et iuga dura ciui;
Sic ciuicae TV commeritus geris
Decus coronae, Teutonicis patrum
Qui ciuitatem rite ſeruas
Iuribus, haec peritura firmans.
Ex hinc merentem laudibus exſtruit
Quicunque TEmet, queis onerat frequens
Fauſtisſimus Rector Byzanthi
Sacra piae Themidis parantes.

Ornare

Ornare digni ſplendida pectora
Virtutis almae non pretium ſinet,
Lucebis et fulgore raro
Ad patriae rediens beatus
Sedes amatae, et littora dulcia,
Quorum ſalutem tot ſapientibus
Olim magis feliciorem
Reddere conſiliis ſtudebis.
Partem ex regendis accipe ciuibus!
His iura ponas aequa quibuslibet,
Hique ore nunciata molli
Omnia ſuſcipient verentes.
Director arui celſus Olympii
Terrena tractans littora brachio
Accommodabit robur ingens,
Votaque ſtata iubebit eſſe:
Plerisque certo TE meritis dabit
Terrae paternae conſpicuum diu;
Sollertiae molimina acris
Vltima nix duplicata ſiſtet
Penſata, fauſtae conditionis et
Augmenta gignant ſaepius addita
Laetata tantis digna corda,
Triſtitiae fugiantque truſae!
Procinctus autem linquere Salicas
Rogaris oras, pellere pectoris
Non ex amici fonte memet,
Immerito tribuens fauorem!

Paucis exilibusque hiſce uocibus Nobiliſsimo et Doctiſsimo Domino Candidato Doctorale faſtigium feliciter ſcandenti applaudit benignae recordationi ſeſe commendaturus

Ioannes Philippus Carrach, Halenſis
Vtriusque Iuris Cultor, Opponens.

* * *
** ** **